



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De materia essentialiter componente corpus naturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

titatem quandam incompletam, constituentem, cum materia & forma hominis, hominem, equi, equum &c. At nobis, ut patebit ad finem huius libri magis oppidò placet substantiam esse entitatem omnino completam, eamve, in qua totus homo v.g. consistat, nec tam esse principium hominis, aut humanitatis, quam esse huius effectum, atque ab ea eiusque partibus, materia scilicet & forma, tanquam à causis intrinsecis manare: non est ergo, quod inter principia naturæ connumeretur, cum potius, ut dictum est, naturæ sit effectus: nisi vero singas, illam simul esse posse effectum naturæ, atque eius principium.



TRACTATUS II.

De materia essentialiter componente corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An materia prima in rebus existat.



MATERIA prima, iuxta Aristotelem i. Phys. cap. 6. est primum subiectum, ex quo aliquid fit, ut non per accidens insit. Particula illa, primum subiectum, denotat materiam tale subiectum esse, quo aliud antea non sit. Reliquæ definitionis partes significant, materiam esse subiectum formæ substantialis, secumque componentis vnum per se & substantiale, non verò accidentale, aut per accidens.

2. Quam materiam in rerum natura & vniuersitate existere, suaderi præcipue potest, ex irrequieta illa, & perpetua rerum naturalium discordia, & lucta, qua mutuum sibi interitum moluntur: Siquidem ignis v.g. à ligno sibi proximo, & applicato, dispositiones eius naturæ consentaneas abigit, & in eo siccitatem, calorem, aliasque dispositiones contrarias eiusque destructiuas operatur, ut experientia testatissimum est: at non alia de causa, nec alium propter finem, nisi ut à materia prima ligni ligneam formam expellat, & contrà formam ignis in eam imprimat atque introducat: Admittenda igitur est acrisque iudicio concedenda in ligno eiusmodi materia, quæ quidem formæ ligni subesse habeat, & tamen formæ ignis & cuiusque alteri possit subesse. Huic argumento vnam aut alteram solutionem apponam; in quarum oppugnatione potissimè sita erit nostræ & communis sententiæ propugnatio.

3. Respondebis ergo primò, luctam illam rerum naturalium non esse propter subiectum substantiale commune, quod aliæ aliis abripere nitantur, sed propter accidens aliquod commune, quantitatem v.g. aut aliud simile. Cur enim est ignis & lignum materia & forma non consent, porusque corpora substantia- lia simplicia & compositionis expertia sint, quantitate non gaudeant; & propter huius possessionem inuicem dissidere & inimicari non possint?

4. Contra tamen primò sic arguo. Accidens de vno subiecto adequato & immediato ad aliud etiam tale migrare non potest: at in opposita sententia, transitus ille daretur: ergo, &c. Maior probatur: quia forma substantialis, quæ ratione suæ maioris perfectionis à subiecto absolutior & explicatior est, nihilominus migrare nequit aut transire à subiecto adequato in sub-

iectum adequatum, tamen si à subiecto inadéquato in subiectum inadéquatum transire possit, ut in nutritione humana cernere est: à fortiori ergo accidentalis & imperfectior forma, à subiecto adequato in subiectum adequatum migrare non poterit: Antecedens fide sanctum est, cum Ecclesia transmigrationem animarum de corporibus in corpora contra Pythagoricos condemnarit. Aliter etiam probatur eadem Maior, quia experientia ipsa testatur, calorem v.g. qui manui meæ inest, ab ea auferri, & in alterius manum transferri non posse: quidni ergo vniuersim repugnet cuiusque accidenti, ut à subiecto adequato in subiectum adequatum possit migrare?

Dices, transitum illum accidentis à subiecto in subiectum adequatum, tum solum euenire, cum aut subiectum, cui prius inerat, destruitur, & eius loco aliud producit, aut cum subiectum aliquod in locum aliquem transit, quo accidens secum ferre non potest; eique in eodem loco succedit aliud subiectum eiusdem accidentis capax: ut si nostri hemisphærij aer, luce perfusus, atque irradiatus, in aliud hemisphærium, ubi sol nondum illuminare potest, vento agitante feratur; hoc certè in euentu, aer succedens, lucem aeris depulsi poterit in se suscipere: quominus enim possit quid prohibet?

Verum enim, ubi semel transitus ille admittatur, sanè absque fundamento videtur ad solos duos illos euentus adstringi: nec conspicio, cur, eo admissio, calor in pede productus pedem deserere, & ad caput sensim obrepere nequeat. Rursus, lux in euentu adducto infinita penè subiecta adequata mutaret; cum aer aëri in eodem loco succedens, (quæ est venti agitantis celeritas) in quouis ferè instanti sit diuersus. Deinde, cum in adducto casu aer aëri succedit in eodem loco, sanè aer introductus prius natura inducitur, quam aer anterior expellatur: pro posteriori autem, in quo intelligitur aer anterior expelli, nondum intelligitur gradus antiquus lucis exiens, & in aëre nouo receptus, sed post expulsionem illam eius receptio in nouo aëre intelligenda est, si admittatur: quandoquidem ergo pro illo signo, quo expellitur aer anterior, sol nouam lucem producere potest, & pro tunc ut aiunt prior gradus lucis nondum intelligatur existens; non est profectò, cur sol ad ostentationem suæ virtutis denuò ibi non illuminet: nec enim in sole virtus deest, nec in passo capacitas.

Argumentor secundò contra principalem solutionem initio capitis propositam; quia potior ratio est, ut propter alicuius substantiæ communis adeptionem, quam propter accidens aliquod commune tota agentium naturalium lis atque dissidium sit, cum substantia accidenti præstantior sit, & quidem non paruo intervallo: irrationabilis igitur est superior solutio, quæ pugnam agentium naturalium in quantitatem aut aliud accidens commune, non verò in materiam primam, primumque subiectum substantiale refundit. Tertio eandem solutionem impugno, quia igni de nouo producto non est cur noua quantitas suo quasi iure debita non sit, sicuti cuius alij essentia debentur nouæ atque propriæ affectiones: ignis ergo cum ligno minimè decernat, ut ab eo quantitatem auferat, & illam igni conferat.

Quartò demum eandem solutionem confuto, quia dispositiones ab igne in lignum immixtæ in primo instanti quo ignis producit, ad eius productionem disponunt: cur enim tunc determinatè & non ante nec postea ignis producit, nisi quia tunc primum est vltima dispositio ad eius productionem: aut cur, in eo instanti primo, ignis potius quam alia substan-

ria producitur: si, pro priori ad primam productionem ignis, non magis intelliguntur dispositiones igneae, quam earum carentia: At si propter accidens commune, quantitatem videlicet, pugna esset, sane dispositiones ignis, ad primam eius productionem dispo- nere non possent: Ergo, &c. Minor probatur, quia dispositiones illae ultimae, pro priori quo disponunt, aut recipiuntur in ligno: & hoc falsum est; alias ignis in primo instanti productionis ignis simul existeret: aut in igne ad quem disponunt, & hoc etiam falsum est, cum non in illo signo priori sed in alio posteriori ignis existat: aut denique, intelliguntur receptae in accidente illo communi, quantitate videlicet; & de ipsa quantitate idem interrogari poterit; in quo nempe subiecto pro illo priori existat: Nec enim in ligno, quippe quod in illo instanti reali non existit, nedum in illo priori naturae: nec etiam in igne, utpotè qui licet in illo instanti reali existat non tamen in illo signo priori dispositionum, sed in alio posteriori: Ex- cepta ergo materia prima, nullum est subiectum, in quo dispositiones ad primam productionem ignis pro priori ad illam existant, atque adeo vel admitti debet materiā primam solam esse causam diffidij inter agentia naturalia, vel praefatae dispositiones ignis v.g. ad eius primam productionem, nequaquam poterunt disponere; quod tamen est euidentissime falsum. Haec- tenus confutata prima responsio ad nostrum & com- mune argumentum.

Respondebis ergo ad illud secundò, pugnam agen- tium naturalium esse propter locum: quando namque plura corpora simplicia suapte natura completa atque substantialia existere nequeunt in eodem loco, neces- se est, ut cum ignis v.g. de nouo in mundo hoc produ- citur, eo ipso alia substantia corporea v.g. lignum de- struatur, ut ignis eius locum occupet: alioqui esse po- terit ut duo corpora penetrentur, eundemque locum repleant.

10 Sed ne haec solutio placet. Primò, quia si pugna illa est praecise propter locum, & non propter accides aliquod, quod de subiecto in subiectum migret, aut propter subiectum aliquod commune, quod a forma ad formā transeat, sanè dispositiones ab igne v.g. in lignū immisae suam destructionem molientur & appetent, quod planè falsum est: Sequela probatur, quia dispo- sitiones illae destructo ligno pereunt nec superesse ei possunt, alias de subiecto in subiectum adaequatum migrarent, quod supra impugnauimus: vbi ergo de- structionem ligni moliantur, in suammet eodem co- natu atque molimine contendunt; nec nisi Cadmea vi- ctoria perdent, pereundo scilicet. Item secundò, si pu- gna bellumque continuum agentium naturalium est duntaxat propter locum, non erit cur ignis lignum tantopere alteret ac disponat: satis enim erit, si in eo- dem loco, quo est lignum, pro priori producat ignis, absque vlla ligni alteratione, aut dispositione, ad hoc, ut pro posteriori signo naturae ad productionem ignis, destruatur lignum, siquidem ambo in eodem loco si- mul esse non sistent: vnde ulterius, non erit cur ad ignis productionem potius lignum, quam quauis alia substantia, quantumvis incombustibilis, perire de- beat.

11 Tertiò eadem posterior solutio principalis mihi di- splicet, quia si pugna, qua de agimus, est solummodo propter locum, nihil ligni in igne de nouo producto remanebit: vnde ex ligno non fiet ignis, seu quod per- inde est lignum in ignem minimè conuertetur, quod sensui & experientiae repugnat: sequela autem suade- tur: quia si Deus decernat Angelum destruere, simul- que lapidem producere, sanè ex Angelo non fiet la-

pis, nec Angelus in lapidem conuertetur: non alia ratione, nisi quia nihil Angeli in lapide remanet: si- militer ergo, si nihil ligni remanet in igne, certè li- gnum in ignem minimè conuertetur. Quartò tan- dem, si pugna ignis cum ligno, quod amburū est pro- pter locum, & non propter accidens aut substantiam communia, quorum alterutrum in ligno anteaquam destruatur sit, & in igne esse possit; si inquam ita se- res habet, certè cum corpora Sanctorum in cinerem & fauillam conuertuntur, nihil Sanctorum remane- bit in cinere: frustra ergo Sanctorum reliquias vene- ramur & asseruamus.

CAPVT II.

Materiam primam in rebus existere ulte- rius probatur.

12 Hoc argumento, quod sit ordine secundum. Ho- mo est compositum ex anima rationali, & ma- teria prima eius receptiua: eiusmodi ergo materia pri- ma, formae substantialis in se receptae capax, nullo iure in rebus negari potest. Antecedens probatur, tum ex symbolo Athanasij, vbi sic dicitur, *Sicut ani- ma rationalis, & caro unus est homo, &c.* Tum quia in homine est anima rationalis, quam immortalem esse, & extra corpus superstitem manere, fide & ratione certum est: at homo non est sola anima, cum haec spi- ritualis sit & homo corporeus: fieri ergo non potest, quin homo materia prima, & anima rationali, ex aequo constituatur. Tum demum, quia homo per nu- tritionem substantialiter crescit, & augetur, ut expe- rientia patentissimum est, atque adeo partes aliquas substantiae per nutritionem de nouo acquirit: at non acquirit nouas partes animae rationalis, cum haec ex- pers partium sit, ac omnino indiuisibilis: relinquit- tur ergo, ut solius materiae primae nouas acquirat par- tes; ac proinde homo ex tali materia & anima ratio- nali constat. Et quidem, vbi semel homo materia pri- ma polleat, idem de quouis ente naturali dicendum est: nec enim mortuo homine eius materia perit, cum creetur & incorruptibilis ex consequenti sit; nec etiam substantialiter informis manere potest: necesse igitur est, ut aliam formam substantialem ab humana distinctam statim recipiat, & cum ea aliud ens natu- rale, quod homo non sit, constituat.

13 Tertium argumentum principale, pro existentia materiae primae in rebus, sic se habet. Ars est amula, & imitatrix naturae: at nullus artifex creatus operari potest, nisi ex praesupposito subiecto; ut experientia testatissimum est; nec enim nisi ex marmore aut aere v.g. statua, nec nisi ex lignis & lapidibus domus vs- quam fieri visa est: similiter ergo nullum agens natu- rale operari potest, nisi ex aliquo praeposito subie- cto: sed materia prima exclusa, ac nullatenus in rebus admissa, ignis v.g. ignem ex nullo praesupposito sub- iecto naturaliter produceret: eademque ratione, cae- tera agentia naturalia operarentur. Ergo, &c. Huc spectat, celebre illud Philosophis pronunciatum; *ex nihilo nihil fit*: Huc etiam attinet, quod Sancti Pa- trēs, & Scolastici nostri communiter decernunt, ac pro explorato tradunt; creationem esse actionem so- lius Dei propriam, saltem de facto: quae certè vera non esset, si materia non esset.

14 Quartum ac postremum argumentum, pro existen- tia materiae primae, huiusmodi est. Nulla substantia earum, quae vi agentium naturalium corrumpuntur omnino annihilatur: annihilatio autem eius solius est,

est, cuius nihil manet, quodve in omnino nihil redu-
citur: nulla ergo substantia illarum quæ prædictæ
sunt, ita destruitur, ut nihil illius maneat: aliquid er-
go prædicatum essentiale cuiuscunque semper manet:
non autem forma, aut compositum ex ea ressaltans, ut
experimento claret: ergo materia prima, qua constat:
quod ergo omnes substantiæ corruptibiles & corpo-
reæ ea consent, ut constantissimum omninoque cer-
tum, tuendum est. Maior argumenti probatur, quia
nulla substantia creari aut ex nihilo sui produci potest,
ab illo agente naturali, ut paulo supra ostensum est:
nulla igitur annihilari, siue in nihilum sui naturaliter
reduci poterit, sed potius omnes ita corrumpuntur, ut
omnino non pereant, sed aliqua sui parte semper ma-
neant. Ad quod respexit Seneca lib. 5. de benefic. c. 8.
ibi: *rerum natura nihil dicitur perdere, quia, quicquid
illi auellitur, ad illam redit: nec perire quicquam potest,
quod, quò excidat, non habet, sed eodem reuoluitur, unde
discedit.* Et Marcus Antoninus Imperator lib. 4.
de vita sua ibi: *nihil ex eo, quod non est, oritur: sicut ni-
hil quoque, in id, quod non est, interit.* Eodem etiam
respexit Pythagoras apud Ovidium libro 15. Meta-
morph. ibi

*Nec perit in toto quidquam (mihi credite) mundo:
Sed variat, facièmq; nouat: nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante: morique
Desinere illud idem, cum sint huc forsan illa*

Hæc transacta illuc: summa tamen omnia constant.
Eodem etiam applicari possunt sequentia Carmina
Lucretij lib. 1. de nat. rerum; ibi:

*Haud igitur penitus pereunt, quæcunque videntur:
Quando aliud ex alio reficit naturæ nec ullam
Rem gigni paritur: nisi morte adiutam aliena.*

15 Ex dictis tum hoc tum præcedenti capite colligi-
tur, negata materia prima, sequentia absurda vitari
non posse: nullas scilicet esse conuersiones, ac muta-
tiones substantiales: secundò, omnes alterationes ac
mutationes accidentales inutiles, &, quod plus est,
impossibiles esse: Tertio consequenter, rixam & dis-
cordiam rerum naturalium frustraneam esse, cum ni-
hil sit, propter quod esse possit: Quarto, reliquias San-
ctorum veneratione indignas esse. Quintò, hominem
non esse compositum, sed quid simplex. Sextò, agen-
tia naturalia creare, & ex non præsupposito subiecto
agere posse: Septimò substantias omnes, cum natu-
raliter destruuntur, in nihilum recidere.

Colligitur secundò ex dictis, non tantum dari & in
rebus existere materiam primam, sed etiam eius exi-
stentiam esse euidenter demonstrabilem; ut contra
Gomesium Pereiram in Antoniana Margarita, censent
Suarez disp. 13. Metaph. sect. 1. Arriaga disp. 2. Phys.
sect. 1. & communiter alij.

C A P V T III.

*An materia prima per existentiam for-
mæ existat?*

16 **P**ars negatiua communior est inter Doctores. Eam
in primis tuetur Hurtadus disp. 2. Physic. sect. 6.
Bartholomæus Amicus tract. 5. Phys. q. 4. dub. 2. Ar-
riaga disp. 2. à num. 74. Rubius lib. 1. Physic. tract. 5.
q. 3. Balthasar Tellez part. 2. in Phys. disp. 22. sect. 2.
Cardinal. Toletus lib. 5. q. 13. Conimb. 1. Physic. c. 9.
q. 3. Benedictus Pereira lib. 5. cap. 13. Suarez disp. 13.
Metaph. sect. 4. Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 7. quæst. 3.
sect. 3. Item Molina, Vasquez, Ouiedo, Franciscus
Alphonsus, atque ut semel dicam omnes Authores
nostre Societatis. Pro eadem opinione stant Henri-

cus, Gabriel, Durandus, Scotus, Veracruz, Burlæus,
omnesque Scolistæ & Nominales, ut videri potest
apud nostros ac præsertim apud Bartholomeum Ami-
cum vbi supra. Quæ etiam sententia nobis verior
videtur.

Præcipuum autem eius fundamentum esse solet, 17
realis indistinctio essentia ab existentia: quam ex pro-
fesso tractare & examinare non est huius loci sed Me-
taphysicæ: supposita ergo ea indistinctio alibi pro-
banda, fieri certè nequit, ut materia prima, sicut om-
nium consensu habet essentiam distinctam ab essen-
tia formæ, non habeat etiam existentiam propriam, &
ab existentia formæ planè distinctam: Quod sic exigi
potest, ad syllogisticum rigorem. In materia & forma
idem realiter est essentia ac existentia; at in iis essen-
tia non est vna, sed multiplex, igitur etiam in iis exi-
stentia non est indiuisibilis & vna, sed potius multi-
plex, altera scilicet propria materiæ, & altera propria
formæ, per quam materia completur atque actua-
tur.

At dices, essentiam distingui saltem virtualiter in- 18
trinsecè ab existentia: idque satis esse, ut essentia ma-
teriæ sit distincta ab essentia formæ, quin propterea
existentia vnius ab existentia alterius distinguatur.
Ut alia prædicata contradictoria, quidni etiam hæc
fundari possint in virtuali distinctione quæ reperitur
inter essentiam & existentiam? Verum in primis hæc
solutio, Thomistis, qui distinctionem virtualem es-
sentia ab existentia negant, & aliis compluribus, qui
eam vbique inficiantur, quid prodesse potest? Deinde
absolutè falsa est, quia tamen admittatur ea distin-
ctio virtualis, inter essentiam & existentiam, nequa-
quam tamen facere poterit, ut materia per existen-
tiam formæ existat, nec propriam sibi vendicat. Quod
sic ostendo. Materia equi v. g. potest existere sine
existentia formæ equinæ, videlicet, cum, mortuo
equo, per formam cadauericam informatur: prædicta
igitur equi materia, ab existentia formæ equinæ, real-
iter distinguitur, cum sine ea realiter existere possit:
qua ratione Petrus v. g. distinguitur realiter à Paulo,
quia sine eo potest realiter existere: iam ergo, si mate-
ria existit per existentiam formæ, ab ea merè virtua-
liter distingui nequibit, atque aded per distinctionem
virtualem essentia ab existentia defendi haud poterit,
materiam existere per existentiam formæ, non per pe-
culiarem, ac sibi propriam. Itaque, tamen distinctio
virtualis funder alia prædicata contradictoria, hoc ta-
men præstare non potest, ut quæ realiter separabilia
sunt, ea realiter non distinguantur: at materia sublu-
naris separari potest, ab existentia formæ suæ: aut ergo
per eam non existet, aut certè plusquam virtualiter ab
ea distinguetur.

Quamquam autem Authores supra ad initium ca- 19
pitis allegati, in principali puncto consentiant, in eo
tamen plures illorum ac præsertim è nostra Societate
dissentiant, an supposita distinctione reali essentia ab
existentia materia per existentiam formæ existere pos-
sit, & debeat: & non pauci haud sine ingenij laude
partem affirmantem tuentur. Verum mihi pars ne-
gans magis probatur: eamque magis verisimilem esse,
constabit ex argumentis, quæ pro existentia propria
& peculiari materiæ, independentè à distinctione
reali essentia & existentia, prosequor.

Secundò ergo principaliter argumentor, hunc in 20
modum. Si materia existeret per existentiam formæ,
agentia naturalia producerent materiam. Consequens
est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Minor
probatur, quia si agentia naturalia producerent ma-
teriam eam crearent, & ex nullo præsupposito subie-
cto produceret: quod enim subiectum materiæ primæ
fuit

sive primo subiecto præsupponi potest? an non id foret aliquid esse posse primo prius, & quidem in eodem genere? At agentia creata de facto saltem creare nequeunt: in iisque verum habet Aristotelicum illud axioma, *ex nihilo nihil fit*. De iisdem etiam agentibus intelligendum est quod ait, Tullius lib. 2. de divinat. ibi, *Non ergo omnium interitum atque obitum natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito decidat? quis hoc Physicus dixit unquam?* Sequela porro argumenti probatur, quia in tantum materia denominari potest producta, in quantum eius existentia producit: non enim quia producit eius essentia, cum hæc in Thomistarum sententia, omnino improducibilis sit, atque æterna: sed agentia creata in eorundem authorum principiis ac philosophandi ratione non possunt non producere existentiam materiæ, materiam ergo ipsam absolute producent. Minor proximè posita luadetur, quia existentia formæ iuxta eos est omnino realiter indistincta ab existentia formæ: agentia autem creata existentiam formæ producant: ergo & materiæ existentiam ab ea indistinctam. Eodem argumento probari potest, materiam primam naturaliter destrui posse: siquidem eius existentia secundum adversarios eam ab existentia formæ non distinguentes, naturaliter destruitur.

21 Huic argumento censent aliqui Recentiores probabiliter responderi posse, distincta duplici actione inadæquata: quarum utraque ita terminetur ad existentiam formæ, ut altera in sola essentia materiæ inhæreat, recipiaturque, ac per consequens generatiua sit; altera verò in ipsamet existentia sola adhæsiue in sit, ac creatiua sit, atque in materia nec adhæsiue nec inhæsiue recipiatur; & quarum prior à Deo & simul agente creato procedat, posterior verò à solo Deo proficiatur. Quare, cum materia per creationem producat, & actio creatiua à solo Deo procedat; forma verò per generationem producat, & generatio ab agente creato dimanet; mirandum non est, quod solus Deus materiam producat, simul vero cum Deo agentia creata in formam influant, eamque agant. Ad confirmationem argumenti respondent, materiam primam minime destrui, destructa eius existentia, eò quod destrui materiam sit eam ita spoliari existentia quam possidet, ut alia ei non conferatur; agentia verò naturalia ita spoliare materiam existentia propria vnius formæ, ut aliam ei de nouo conferant.

22 Ceterum hæc solutio nequiquam potest sustineri. A principio enim non conspicio, cur materia debeat potius produci per actionem propriam, & peculiarem, distinctam ab actione, qua producit formam, quam existere per existentiam propriam, & peculiarem, distinctam ab existentia formæ: at, iuxta hanc solutionem, materia prima producit per actionem distinctam ab actione productiua formæ: absurdum ergo non est, sed potius opus, ut per existentiam distinctam ab existentia formæ existat. Quare hæc solutio incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim; dum ad vitandam multipliciter existentiarum recurrit ad actionum multipliciter, cum tamen una multipliciter minus absurda non sit quam alia; vnaque ad aliam consequatur. Adde, quod eandem indiuisibilem existentiam creari & generari, dependenter & independentem à subiecto produci, & actiones adeo oppositas vel certè adeo diuersas terminare in hac saltem rerum serie impossibile videatur; non minus, quam eundem voluntatis actum per vnā actionem liberam & per aliam necessariam simul produci.

23 Vltèrius, in tantum materia producit, in quan-

tum eius producit existentia: sed agentia naturalia & creata existentiam materiæ producant, per actionem saltem inadæquatam, ut adversarij largiuntur: materiam ergo ipsam absolute producent. Tandem ex ea solutione fiet materiam generari & formam omnem creari. Sequela probatur, quia actio aliqua inadæquata generatiua, iuxta adversarios, existentiam materiæ producit, materiamque, quod consequens est, facit existere, præsertim cum existentia sit modus, & seipsa materiæ vniatur; quidni ergo talis actio generatiua materiam producat? Cum ergo eam creare nequeat, eò quod generatiua sit, reliquum est, ut eam generet. Eodem argumento suaderi potest, actionem creatiua, solius Dei propriam, creare non solum materiam, verum etiam formam, qualiscunque demum sit. Quod autem respondent ad confirmationem argumenti nostri, materiam primam scilicet minime destrui, destructa eius existentia, eò quod destrui materiam sit ita eam spoliari existentia, quam possidet, ut alia ei non conferatur; agentia verò naturalia priuare quidem materiam existentia propria; sed tamen aliam ei de nouo conferre; hoc inquam nihil dictum est, quia cum destrui materiam sit non eius existentiam sed solam existentiam destrui, iuxta adversarios Thomistarum sententiam defendere conantes, certè in eorum doctrina, quam in solutione sua proponunt, materia prima non tam continuè conseruabitur, quam in singulis instantibus destruetur, & de nouo producet: quod tamen est ridiculum.

Tertiò principaliter argumentor. Existentia materiæ cælestis v. g. creatur, & existentia formæ cælestis non creatur, sed generatur: fieri ergo non potest, quin existentia vnius ab existentia alterius realiter distinguatur. Antecedens probatur, quia in tantum materia cælestis creatur, in quantum eius existentia creatur, cum eius essentia creationis sit incapax, ac proinde ad denominandam materiam suam creatam insufficientis: similiter forma cælestis in tantum generatur, in quantum eius existentia dicitur esse generata: atqui materia cælestis absolute creatur, & cælestis forma absolute generatur: Necesse ergo est, ut vnius existentia creetur, & alterius generetur.

25 Huic etiam argumento censent adversarij, de quibus paulo supra, responderi posse, eandem indiuisibilem actionem existentia cælestis similiter indiuisibilis productiua esse quidem materiæ cælestis creatiua, & formæ cælestis verissime generatiua: nimirum quia actio illa existentiam materiæ ab ipsa essentia materiæ, non verò ab alia causa materiali ab ea distincta educit, quod est formalissime materiam suam creatam creare: existentiam verò formæ, quæ eadem est, eadem etiam actio non ab essentia formæ, sed ab essentia solius materiæ ab ea realiter distincta, velut à subiecto, & causa materiali, educit; quod certè videtur non aliud esse quam formam generare.

26 Contra tamen sic disputo. Non solum materia & forma, verum etiam ipsa vtriusque existentia propterea ab iis distinguitur, per actionem illam indiuisibilem supponitur produci: aut ergo creatur aut generatur? alterutrum enim necesse, & vtrumque simul impossibile est: si primum: ergo forma cælestis creatur; siquidem in tantum forma aliqua creatur, in quantum eius creatur existentia: sin autem secundum; ergo materia cælestis generatur; namque, ut sæpiissime diximus in simili, in tantum materia generari potest in quantum eius existentia generatur. Aut paulo aliter: materiam creari, est eius existentiam creari: & formam generari, est eius etiam existentiam denominari generatam: at materia cælestis creatur, & forma generatur;

ratur: ergo & existentia vnus creatur, & alterius generatur; cum ergo existentia vtriusque sit eadem indiuisibilis existentia; sanè per eandem indiuisibilem actionem simul generabitur, & creabitur: in quo quod impossibilia miscetur?

27 Respondent iterum Recentiores, existentiam materiæ & formæ cælesti communem solum generari: at actionem illam talis existentia generatiuam, dicendam esse creatiuam materiæ, eò quod non nisi dependenter ab existentia ipsius materiæ generet, & independentem à quauis alia: quæ doctrina, inquit, etiam admissa partiali existentia materiæ, adhuc admittenda est: etenim existentia illa partialis materiæ ab eius essentia educitur, ac proinde generatur: & tamen materia per eam existens creatur: idem ergo dici poterit de materia, eisdem per existentiam sibi cum forma communem existat.

28 At hanc etiam euasione præcludit, quod materiam generari aliud esse non possit, quam eius existentiam generari: si ergo existentia materiæ generatur, vt aduersarij fatentur, ipsa materia generabitur. Antecedens perspicuum est: tum quia materiam generari non est eius essentiam generari: ergo est eius existentiam, vt dictum est, generari: Tum etiam, quia produci materiam est eius existentiam produci: ergo generari materiam est eius existentiam generari. Quod si materia per existentiam sibi peculiarem existeret, sanè ea existentia nequitiam generaretur, aut ab essentia materiæ educeretur: cuius oppositum immerito aduersarij supponunt: nec video, cur magis absolum sit, existentiam materiæ ab eius essentia non educi, quam existentiam formæ ab eius essentia minime educi: hoc autem secundum admittunt ij, qui nobis aduersantur. Quid? quod, iuxta hanc solutionem de eadem indiuisibili actione materiæ & formæ productiua, agentia naturalia & creata ignem v. g. producentia, non minus materiam ignis, quam eius formam, producerent: quare data opera recentiores hac solutione, pro solis corporibus cælestibus vtuntur.

29 Argumentor quartò. Materia prima, pro priori naturæ, quo intelligitur disposita ad recipiendam formam eiusque existentiam, nequit non intelligi verissime existens: at non per existentiam formæ, ad quam disponitur: ergo per existentiam sibi peculiarem & propriam. Minor perspicua est: quia nondum pro illo priori existentia formæ intelligitur. Maior probatur, quia nequit materia disponi per accidentia ad recipiendam formam, nisi vt existens: pro illo ergo priori, quo est disposita, intelligitur necessario existens: antecedens suaderet, quia materiam primam disponi per accidentia, est per ea esse quantam, qualem, vbicatum, durantem, &c. Sed materia nequit esse quanta, qualis, vbicata, durans, &c. nisi vt existens; quo enim pacto, quod non est, esse potest quantum? aut quod absolute non existit quomodo tamen existere in tempore, aut loco, per durationem, & vbicationem potest? aut denique, qua ratione lignum v. g. quod non existit, calidum nihilominus esse potest? Equidem si subiectum per accidentia disponi, & ab iis denominari posset, absque eo quod existeret, falsum esset, accidentia Eucharistica esse sine subiecto, cui insunt, & quod denominent: Quod enim fides docet tantum est subiectum accidentium Eucharisticæ post consecrationem non existere: quod, in sententia quam refello, obesse non potest quominus accidentia Eucharistica, ei subiecto sicuti antea insunt, illudque denominent.

30 Vrgebis tamen. Supposita distinctione essentia ab

existentia, essentia materiæ pro priori ad existentiam suam non intelligitur existens: & nihilominus, pro eo priori, est proxime potens & apta ad recipiendam suam illam existentiam propriam: quidni ergo possit materia per accidentia disponi & reddi apta ad recipiendam formam, eiusque existentiam, quin pro eo priori debeat intelligi existens? hoc ergo ex capite perperam adstruitur, materiam habere propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, per quam actuatur. Sic instet aliquis.

Sed in primis hæc instantia tantum procedit, supposita distinctione reali essentia ab existentia; nec tollit, quominus absolute, ac præscindendo ab ea suppositione, & hypothesi, quantum nostrum argumentum, paulò supra positum, efficax sit, vimque habeat, & quidem non paruam neque contemnendam. Deinde verius est, ne, admissa ea hypothesi, instantiam esse alicuius momenti. Siquidem essentia materiæ v. g. antè existentiam suam, non potest denominari existens: per quid enim? an per seipsam præcisè, & sine vlla existentia? at hoc esset dari effectum formalem sine forma. An per existentiam, pro posteriori aduenturam: at hæc pro eo priori non intelligitur, nec datur: quomodo ergo dare tum potest effectum formalem existentis? an denique per aliam existentiam, realiter distinctam, ab ea, quæ est pro posteriori aduentura: at sic materia ipsa, prout condistincta à forma, ponenda est existens, per plures existentias in eodem instanti reali: quod tamen nemo dixit hucusque nec probabiliter potest. Et, quod magis absurdum est, neque inde non sequi processus in infinitum: nam de existentia illa priori, qua disponitur materia ad recipiendam aliam existentiam posteriorem, redibit eadem quaestio, quomodo scilicet & per quid ad eam recipiendam denominatur essentia materiæ proxime potens & apta? & si per aliam tertiam existentiam, de hac idem quaeri poterit, & sic absque fine. Hæc propter ergo mirum non est, si essentia materiæ non possit dici existens pro priori ad existentiam suam, adeoque ad eam apta & veluti disposita esse queat, per seipsam & quatenus sumitur inesse essentia, vt aiunt, non verò, vt pro priori existens. Hæc autem ratio non procedit in denominatione quante, qualis, vbicata, &c. non poterit igitur materia tales habere denominationes nec vi earum disponi ad recipiendam formam, quin pro priori tum ad hanc tum ad illas intelligatur existens: quod tamen in ea inintelligibile prorsus est sine propria existentia.

Declaratur, vno aut altero exemplo. Natura potest 32 subsistentiam producere quin pro priori intelligatur subsistens: & tamen alias operationes non potest elicere quin pro priori ad eas denominetur subsistens, iuxta communem paræmiam, *actiones sunt suppositorum*. Item, quæuis res denominatur producta, quin pro priori ad hanc denominationem intelligatur actio eius productiua: & nihilominus alias denominationes existentiales, siue existentiam concernentes, vt sunt v. g. moueri localiter, calefieri &c. haud potest vlla res recipere, quin pro priori intelligatur actio, per quam prius producatur, procedatque à suis causis. Quanquam ergo possit essentia materiæ denominari existens, quin pro priori ad recipiendam existentiam & denominationem existentis existere debeat, longè tamen alia ratio erit, de aliis denominationibus accidentalibus, de quibus fuit sermo in quarto argumento nostro.

CAPVT IV.

Argumenta contraria solvuntur. Vbi an materia, & quo pacto sit pura potentia? Anve suarum proprietatum actiua?

32 **D**Octores Thomistæ oppositam sententiam communiter amplectuntur. Primo, quia materia est de se pura potentia: de se ergo, & seorsum à forma, nullum actum ac proinde nullam existentiam habet. Consequentia videtur bona. Antecedens est commune proloquium, quod ex variis Aristotelis & D. Thomæ locis desumitur.

33 Respondent in primis aliqui materiam primam non esse puram potentiam, entitativam, siue omnis entitatis, atque existentie de se expertem: sed tantum puram potentiam passivam: quia scilicet, cum diuiditur virtus in actiuam, & passivam, materia prima virtus merè passiva seu receptiva, & nullo modo actiua euadit, eo quod nihil agere siue efficere valeat: itaque pura potentia, de materia dici solita, non idem pollet, atque potentia nihil habens existentie aut actualitatis, sed potius idem ac potentia nihil habens actiuitates, totaque in recipiendo posita. Hæc solutio non placet, quia falso ac ruinoso fundamento innixa: falsum enim est, ut quod maximè, materiam primam nihil efficere, aut agere, & ne suasmet proprietates: vti hæc attributorum efficientia cæteris essentis, quidni & materie concedatur? Ac certè concedendam putant Arriaga disp. 2. Physic. sect. 9. & cum eo non pauci.

34 Scio à P. re Vasquez opponi, contra actiuitatem & energiam materie ad suas proprietates, nullo eam fulciri fundamento, à P. Pereira, si quam posset materia efficere proprietatem, maximè quantitatem: at non hanc: quia vel pro priori ad quantitatem esset quantitas; & hoc repugnat: vel non esset quanta: & sic quomodo posset quantitatem vel aliud quidpiam agere, aut efficienter producere? ac denique ab aliis, Aristotelem lib. 2. de ortu & interitu cap. 9. & August. lib. 2. de nat. boni, contra Manichæos videri negare materie actiuitatem, & vim effectiuam etiam suarum proprietatum. Cæterum hæc haud multum negotij faciunt. Quod enim ad primum attinet, quod maius considerari potest fundamentum actiuitatis, qua de loquimur, quam nullo eam fundamento negari: quam item omnes alias essentias esse actiuas suorum attributorum ut dictum est? Quod ad secundum attinet, nescio quorsum requiratur ad efficiendam quantitatem, ut materia eam effectura, pro priori sit denomineturve quanta: non secus atque iuxta aduersarios recipit materialiterque causat quantitatem, quin pro priori debeat esse quanta. Adice, falsò supponi, quod quantitas distinguatur à materia prima, siuè ea proprietas quæ ab illa efficitur: quænam ergo inquires? Dico durationem, aut vicationem materie primæ, & ab ea distinguui, & ab illa effici: neque, ut defendi, possit actiua alicuius aut aliquarum proprietatum/suarum, opus esse recursum ad quantitatis ab ea distinctionem & emanationem. Quod tandem ad Aristotelem & Augustinum spectat, non negant quidem materie actiuitatem, ad alios effectus, quam ad eos, qui non sunt illius proprietates, atque attributa: ut benè, Arriaga, vbi paulò supra. Hactenus prima Thomistici argumenti solutio.

35 Alij ad illud respondent materiam primam esse puram potentiam non quidem entitativam; eas ob causas quæ cap. præcedenti latè discussæ sunt; sed duntaxat

passiuam: ideo autem esse puram potentiam passiuam, quia ita est passiva formarum, ut ipsa non sustentetur in vlla potentia passiva siue subiecto. Hæc solutio propius ad veritatem accedit, sed nisi amplius explicetur, absolutè falsa & reiicienda est, non minus quam superior iam reiecta & falsitatis euiecta. Nam si vera esset, sanè Angelus etiam deberet dici pura potentia, cum ita formas accidentales saltem recipiat, ut ipse in nullo alio subiecto à se distincto substantiali, siue accidentali recipiatur.

36 Verior ergo argumenti solutio est, materiam primam esse puram potentiam passiuam substantialem, hoc est, ita eam recipere patique formas substantiales, ut ipsa nequaquam sit actus aut forma substantialis: Dices tamen, pari ratione Angelum censendum esse appellandumque, puram potentiam passiuam accidentalem, cum iuxta paulò superius dicta, sic recipiat formas accidentales, ut non sit forma accidentalis. Respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate. Nec solum dici potest Angelus pura potentia passiva accidentalis, quia non est forma accidentalis, ad instar earum quas recipit, sed etiam alia de causa; nimirum, quia est receptivus solarum formarum accidentalium, non vero substantialium.

37 Dices iterum, ex nostra solutione sequi, formam substantialem dici posse aliqua ratione actum purum, quia ita scilicet est actus substantialis materie, ut nullo actum formamve substantialem recipiat: quod si ad actus accidentales à forma substantiali receptos recurratur, certè vltimum saltem accedens, actus purus, dicendus erit, iuxta nostrum modum loquendi, & explicandi puram potentiam. Respondeo tamen, formam substantialem, nulla ratione, dici posse absolutè actum purum: at eam dici posse, purum actum substantialem informantem: hoc autem, quod solum sequitur ex nostro loquendi modo, non est absurdum: nec propter illud metus est, ne forma substantiali perfectio aliqua Dei optimi maximi propria arrogetur: Deus enim est actus purus substantialis, non informans & incompletus, sed completus subsistensve: item est actus purus absolutè, & non egens additamento eius particulæ, *substantialis*: eo quod eius actualitas pura sit, non tantum contra potentialitatem substantialem, siue ad formas substantiales, sed quod plus est, contra omnem omnino. Quod autem spectat ad vltimum accedens suppositi cuiusvis, haud sequitur ex nostra doctrina, illud esse absolutè actum purum, sed duntaxat esse purum actum accidentalem: quod cui meritò apparere possit absurdum? Itaque, ut ad breuem quasi epilogum redigam superius dicta, materia prima nec est pura potentia entitativa; siue ab omni entitate & existenti sorte prorsus aliena, quantum est ex se, suisque meritis, ut volunt Thomistæ: nec pura potentia passiva, quatenus hæc distinguitur contra virtutem potentiamve actiuam, ut alij falsò existimant: nec etiam pura potentia passiva absolutè dicta, quatenus hæc consistit in potentia recipiente, & nusquam recepta; ut nonnulli haud magis ex vero putant: quid ergo? Sanè est pura potentia passiva substantialis, ut dictum est, utque explicari potest ex ipsamet posteriori instantia nobis obiecta: quemadmodum enim forma substantialis dicitur purus actus substantialis informans, siue pura forma substantialis ordinis; & sicut accedens vltimum alicuius suppositi dicitur, estque, purus actus accidentalis; propter negationes scilicet potentialitatis supra expositas: quidni etiam materia prima dicenda sit pura potentia passiva substantialis, ut ut propriam habeat existentiam; eò scilicet quod per eam existentiam ita sit receptiva formarum substantialium.

stantialium, ut ipsa dici non possit forma substantialis, sed potius hæc de ea negetur. Atque hoc sensu censendum est loqui Aristotelem & B. Thomam, cum materiam primam docent esse puram potentiam.

38 Secundo opponunt aduersarij, ac priorem confirmant oppositionem. In tota latitudine ac regione entis aliquid reperitur existitque, quod sit absolute purus actus entitativus, nullamque habeat potentialitatem, nempe Deus optimus maximus. Pari ergo ratione, in toto genere entis, aliquid erit, quod sit pura potentia, non substantialis passiva, ut supra nos explicare conati sumus, sed entitativus; hoc est omnis actualitatis suæ existentia propria exers: tale autem ens tamque potentiale, atque ex diametro oppositum primo & actualissimo enti, nimirum Deo, quod aliud esse potest, nisi materia prima; hæc ergo propriam vllam existentiam non habet.

39 Respondeo in tota latitudine entis esse quidem aliquid quod pura potentia etiam entitativa sit, omnisque actualitatis & existentia exers: eiusmodi tamen ens non esse materiam primam, sed ens quoduis in potentia, & extra suas nondum causas positum, atque existens. Et quidem materiam primam destinata sumptam non esse id entis, quod contra actum purum & increatum distinguitur, quodve non existit nec potest per existentiam propriam, & aliunde non emendicatam, facile est probatur: siquidem, quod Deus sit actus purus, ex eius oritur infinita perfectione: hincque ei repugnat, omnis potentia passiva, & omne quod est esse in potentia ad aliquid. At quod materia etiam existit, ex se sit pura potentia entitativa, nec ex eius imperfectione nec vlllo alio ex capite potest proficisci: quantumvis enim sit imperfecta, nihilominus est receptiva formæ substantialis, & à Deo creatur, & est secundum se ens reale: quæ prædicata ei convenire nequeunt, sine eo quod de se ac seorsum à forma actualitatem & existentiam, cum pura potentia entitativa oppositam, habeat; ut luce clarius est.

40 Tertiò opponunt aduersarij: Ex duobus entibus in actu non sit vnum ens per se, ut fert commune proloquium: at ex materia, & forma substantiali, sit vnum ens per se: materia ergo, & forma, non sunt duo entia in actu: talia autem forent, si utraque propriam peculiaritatem existentiam suæ actualitatem haberet. Respondeo, in primis in Thomistica sententia negante propriam existentiam materiam, materiam tamen & formam esse duo entia in actu: sicut enim, si duo parietes eadem albedine diuinitus afficerentur, duo alba futura essent, quidni similiter materia & forma, esto eadem existentia gaudeant, tamen duo existentia siue duo entia in actu sint? ubi iam argumentum Thomisticum, contra Thomistas militat. Deinde, ex duobus entibus in actu incompleto sit vnum ens per se; secus verò ex duobus entibus in actu completo: qua ratione ex pedibus, brachiis, manibus, capite &c. sit v. g. vnus homo per se; at ex pluribus hominibus haud sit vnus homo per se, sed exercitus aut ciuitas, aut aliud vnum ensve per accidens. Cum igitur materia per propriam existens existentiam sit ens in actu incompleto, & forma similiter, haud sanè est, cur non possint in vnum ens per se coalescere.

41 Quartò opponunt aduersarij. Esse est propter operari, ut fert etiam communis paxia: sed materia de se nullam habet operationem: ergo & nullum esse, nullamve existentiam. Respondeo omne esse completum substantiale esse propter operari; secus verò omne esse incompletum, & parziale: aut, si mauis, omne esse etiam parziale, esse propter operari: materiam autem proprias operationes habere, eas scilicet, quibus suas passiones producit: aut demum, omne esse

R.P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

etiam incompletum esse propter operationem, non semper propriam, sed compositi interdum: esse autem incompletum materiam, sicut ad esse, sic etiam ad operationem compositi ac totius, referri.

Quinto opponunt aduersarij: Si materia existens, aut actualitatem sibi non minus quam forma sortitur, sanè actus quidam erit, haud aliter ac forma actus est: at materia prima actus esse nequit: nec enim actus informans esse potest, ut compertum est; nec etiam actus subsistens, aliàs esset perfectior quam forma vlla substantialis: quo pacto Angelus perfectior est animo rationali; quia scilicet hic, actus informans est, ille verò actus subsistens. Respondeo, materiam primam actum quendam esse: an autem actus subsistens dicenda sit vel non; haud nisi vocis solius est dissidium. Et quidem, licet actus subsistens appelletur, non ob id perfectior erit, quam forma substantialis, cuius est compars: nec enim idcirco Angelus animum rationalem perfectione superat, quia actus subsistens utcumque est, sed quia actus subsistens completus, cum tamen anima actus incompletus sit: at materia prima actus subsistens non completus sed incompletus & per formam complebilis est. Quod si hic loquendi modus displicet, materiam appellato, actum non subsistentem, aut informantem, sed sustentantem, & inter duos priores medium.

Sexto obiiciunt aduersarij, materiam primam, si haberet esse actuale proprium, & ab esse formæ distinctum, eo ipso futuram in aliqua determinata specie, propterea forma distinguitur: Consequens autem videri absurdum, & contra S. Thomam i. p. qu. 4. art. 2. ibi *materia per formam contrahitur ad determinatam speciem*. Respondeo in primis materiam, si quid adducta ratio valet, haud habituram esse, propriam essentiam, ne scilicet ea essentia independentem à forma determinatam aliquam speciem sibi vendicaret: Deinde dicendum absolute est, materiam, propterea existentem seorsum à forma, esse in specie determinata, incompleta quidem, non verò completa: atque hoc & non aliud B. Thomam sibi velle. Et quidem Angelicum Preceptorem nobis magis quam aduersariis fauere liquet ex his, quæ docet q. 3. de ver. art. 5. ad 1. ibi; *Licet materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ: quantumcunque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primæ entis*. Quibus verbis materiam propterea condistinctam à forma aliquam tribuit entitatem & actualitatem, quamvis debilem & imperfectam comparatione eius esse quod habent aut omnes aut certe quædam formæ substantiales.

Septimò obiiciunt aduersarij, materiam primam ab Augustino lib. 12. Confession. vocari propè nihil. At quorsum, nisi quia eam censet nullo esse, nulla existentia propria esse præditam? Respondent aliqui materiam primam ab Augustino appellari ferè nihil, quia de se ac sponte sua caret omni actu entitativo completo; nullumque actum talem habet nisi à forma. Verum ita cur obsecro forma substantialis dici non possit ac debeat propè nihil, quantumvis perfecta sit: cum de se, ac propterea distinguitur à materia & vnioue ad illam, haud sit in actu entitativo completo, sed tantum incompleto, & partiali. Alij, quibus non nihil fauet D. Th. ubi paulo supra, respondent, ideo Augustinū appellare materiam primam penè nihil, quia ea est sponte sua ac per se valde imperfecta. Sed contra est, quod illa perfectior longè sit, quam calor, lux, aliæque plures formæ accidentales; quippe non harum more generabilis, corruptibilis, extra essentiam, & quidditatem compositi substantialis posita; sed potius contrariis perfectionibus prædita, & suapte natura creationem terminans, corruptionis nescia, compositum

B

substantiale

substantialiter essentialiter constituens causansque. At præfata accidentia, titulo imperfectionis, à nemine dicuntur propè nihil: à fortiori ergo materiæ primæ nequibit id nominis aut notæ propter imperfectionem inuri. Addo, materiam primam fortassis esse perfectiorē, minúsque consequenter imperfectā, aliquibus formis substantialibus, quas tamē quis appellari posse censeat propè nihil: Vera ergo argumenti solutio est, materiā primā quatenus tantum subest priuationi formæ, eamque importat & causat, dici ab Augustino propè nihil, ac non ens, nec ab eo solo, sed etiam à Platone & aliis multis: id autē non est materiā, positiuē & formaliter sumptā, haud habere existentiam propriam, haud nisi à forma; sed priuationem formæ, quæ materiæ veluti inest & ab ea causatur, nec per se nec per aliud existere posse, sed potius nihil esse ac manere. Sed de hoc plura inferius tract. 5. c. 3.

CAPVT V.

Prosecutio argumentorum: & cur materia potius quam forma subiectum sit?

45 **O** Ctauō à Thomistis obiiici solet. Si materia prima non existeret per existentiam formæ, posset naturaliter ac citra vllum miraculum existere sine forma eiusque existentia: Consequens est apertè falsum. Ergo, &c. Respondeo, sicut essentia quæuis existere nequit sine suis proprietatibus, quin tamen per existentiam proprietatum existat; & quemadmodum creatura existere non potest sine existentia creatoris, quin per eam formaliter & intrinsecè existat; ita similiter in præsentī seruata proportionē rem se habere.

46 Nonō, à nostris opponi solet. Existētia formæ communicatur materiæ: materiam ergo denominat existentem, sicut albedo parietī cōmunicata eum denominat album: superflua igitur est quæuis alia existentia propria per quam materia existat. Respondeo, eodem argumento probari posse, quod è conuerso forma per existentiam materiæ existat; siquidem existentia materiæ communicatur vniturque formæ; eodēque etiam argumento, accidentia omnia existere per existentiam substantiæ suæ, aut è contrario hanc per illorum existentiam & esse, quæ tamen sunt absurdissima. Deinde absolutè respondendū est, existentiam formæ, quamuis communicatam materiæ, eam tamen haud denominare existentem; aut quia ei per identitatem realem non communicatur, cum tamen hæc cōmunicatio, siue vniō, identitatis realis, ad effectum formalem existentis requiratur: aut certè, quia materia eius effectus formalis incapax est, eo quod illum per se habeat: nouum autem non est formam communicatam subiecto, haud ei impertire effectum formalem, cuius, pro priori, capacitatem in eo non supponit.

47 Decimo tandem, ac sanè difficulter opponi potest, pro contraria sententia. Si materia non existeret per existentiam ei à forma communicatam, non esset cur materia foret subiectum formæ, eamve reciperet, quā è conuerso; seu quod perinde est, non esset, cur materia potius foret materia, quam forma, aut cur hæc formæ magis quam materiæ rationem haberet. Sequela probatur, quia materia non est subiectum formæ, nec eam recipit, eò quod sit causa materialis, à qua forma educitur: tum quia, aliàs materia prima non esset subiectum animæ rationalis, nec eam reciperet, cum proculdubio eam materialiter non causet: tum quia, aliàs subiectum informationis seu receptionis à subiecto

educationis, seu causalitatis, minimè distingueretur. Rursus, materia non est subiectum formæ, nec eam recipit, eo quod ab illa existentiam completam accipiat; siquidem forma etiam existentiam completam vicissim à materia accipit, & ambæ vtrunque complentur, ac perficiuntur. Ideo igitur præcisè materia est subiectum formæ, eamque recipit, & non è conuerso, quia forma existentiam sibi cognatam materiæ communicat, cum interim è diuerso materia existentiam propriam non habeat, quam ei forma referat acceptam. Proinde, si materia per existentiam formæ non existat, haud erit, cur potius altera quam altera alterius sit subiectum.

Declaratur, & confirmatur. Ideo forma substantialis est subiectum formarum accidentalium, easque recipit, quia de se non habet esse secundum quid accidentis proprium, siue modum essendi, sed potius hunc à forma accidentali accipit. Similiter ergo, ob id materia erit subiectum formarum substantialium, easque recipiet, quia de se non habet esse simpliciter, siue existentiam, sed potius eam à forma accipit. Quæ doctrina videtur esse B. Thomæ citata qu. 44. primæ partis art. 2. corpor. vbi sic inquit, ac verba ex ipso superius prolata prosequitur: *Materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicut substantia alicuius speciei per accidens et adueniens contrahitur ad determinatum modum essendi: ut homo contrahitur per album.*

Hactenus argumenti nostri sequela. Porro autem 49 eius consequens, nempe materiam uon magis esse subiectum formæ quam è conuerso, absurdissimum est. Patet, tum quia vt dictum est, quid illud esset quā materiam haud magis esse materiam, quam formam? quamve huic non plus formalitatis inesse, quam inest materiæ? Tum etiam quia est contra ipsum rationis lumen; primāque principia. Tum denique, quia est contra omnes Philosophos, apud quos quid celebrius quam ita se habere materiam ad formam, sicuti se habet femina ad virum, aut sicut dualitas ad ceteros numeros, ei quasi primo numero, & veluti subiecto, superimpositos: hæc autem & aliæ similes locutiones perspicuè indicant, materiam esse subiectum formæ, & non è contrario, oppositumque esse omnino improbabile & absurdum.

Hoc argumentum est omnium optimum, quæ pro 50 sententia Thomistica fieri possunt, multumque negotij facessit, eò quod exigat discrimen formæ à subiecto; quod cum dari manifestum sit, quale tamen datur, perplexum sanè est atque dubiosum: in eo certè exhibendo non parum Philosophi præsertim recentiores desudant. Respondet primò P. Petr. Hurtado, & Compton. disp. 4. phys. sect. 2. n. 4. materiam primam esse subiectum formæ substantialis, eamque in se recipere, & non conuersim; quia forma est quæ tribuit denominationem, subiectum verò quod eam recipit: at ita comparantur inuicem materia & forma, vt materia quidem accipiat denominationem à forma, & hæceam materiæ conferat.

Verum hæc solutio non satisfacit, quia sicut ma- 51 teria prima hominis ab eius forma habet, quod homo quodammodo sit, ita similiter forma hominis ab eius habet materia, quod homo aliquatenus dicatur: nec magis forma quam materia denominationem hominis alteri tribuit, cum vtraque alterutram compleat, & hominem constituat. Item sicut materia hominis à forma denominatur animata, ita & materia à forma denominatur incorporata. Ac demum sicut materia à forma dicitur informata, sic etiam forma à materia dicitur & denominatur subiectata.

Non

Non ergo magis forma materiæ, quam materia forma, tribuit denominationem.

52 Dices, formam tribuere materiæ denominationem, non quamcunque, sed informatam; cum tamen materia formam, non informatam, sed subiectatam, denominet. In contrarium tamen est, quia id ipsum est quod in dubium reuocatur, cur anima hominis v. g. materiam potius denominet informatam, quam subiectatam; aut cur materia prima denominet potius animam subiectatam, quam informatam? siquidem non magis anima materiæ quam hæc illi è conuerso existentiam communicat. Frustra ergo ad qualitatem denominationum, quas sibi vicissim tribuunt materia, & forma, recurritur ab aduersario & alleclis.

53 Alij respondent, ex duabus partibus, quarum altera alteram intrinsecè complet, eam esse subiectum quæ est magis indifferens, eam vero habere rationem formæ quæ est minus indifferens magisque determinata. Cum ergo materia sit de se indifferens ad hanc, & illam formam substantialem, specie diuersam, forma autem substantialis de se determinata sit ad hanc specie materiam; inde est vt materia potius sit subiectum formæ, quam è conuerso. Et quidem hæc indifferentiæ ad varias formas, materiæ propria, eiusque à forma substantiali, quam recipit, distinctiua, satis constat, ex iis nominibus ac similitudinibus, quibus antiquissimi quique & grauissimi Philosophi materiam soliti sunt explicare. Quorsum enim ab Aristotele & Peripateticis mater appellata est, nisi quia, prout materia est, maiorem habet indifferentiæ ad formas, quam è contrario: eo pacto, quo mater, strictè talis, indifferens est ad filios, quam vice, vt aiunt, versa; cum mater plurium filiorum, aut sit, aut certè esse possit, contra vero vnus filij plures esse matres naturaliter repugnet.

54 Deinde ab eodem Aristotele, & sectatoribus, cur aduetera vocatur materia nisi quia non tot illa proceriualetque mutat, quot hæc formas. Præterea quid inter Philosophos plerisque communis, quam materiam appellare syluam? nimirum, quia sicut hæc est variis arboribus constita, & hic v. g. fraxino viret, illic populo albescit, alicubi platano pacatur, atque alibi lauro redimitur; ita materia prima varias formas in potentia sua continet, ad easque est indifferens. Quid plura? Pythagorici materiam vocabant lunam, hocque eam Hieroglyphico significabant, videlicet, quia, vt luna est indifferens ad varium fulgoris genus, & modo dimidiatim cæsa apparet, modo vero corniculatim flexa, nunc in plenum orbem sinuata, septennariisque dispensationibus, vt cum Macrobio loquar, luminis sui vices sempiterna lege variando disponit; ita similiter materia suapte natura indifferens est ad varias, earumque multiplici receptione, haud minus diuersa apparet, quam luna pro varietate accessuum suorum ad solem, vel ab eo recessuum.

55 At nè hæc solutio placet. Primo, quia, si materia prima cælestis à sublunari, & materia vnus corporis cælestis à materia alterius specie differat, vt nonnulli satis probabiliter censent, sanè materia prima cuiusvis cæli non erit magis indifferens, nec latius fundetur; quam eius forma, sed potius, alterutra ad aliam erit ex æquo determinata. Perperam ergo, per eam maiorem indifferentiæ, ratio subiecti explicatur. Secundo, quis neget saltem possibile esse subiectum physicum, non solum æqualis indifferentiæ cum forma, verum etiam quod forma minus indifferens sit, eaque minus latè pateat? haud secus, ac subiectum intentionale, non tam indifferens est, nec adeo latè manat, ac eius prædicatum seu forma intentionalis: vt cernere est in hac propositione, *homo est animal*, vbi homo, qui subiectum est, de se alligatur ad id vt

R. P. Richardi Lyncei, *Philosophia*, Tom. II.

animal sit, cum tamen animal adiunctum de se non sit ad hominem, sed potius sit indifferens ad plures species animalis.

Tandem, quævis essentia est subiectum comparatione suarum proprietatum strictè talium, & non è conuerso: atqui essentia non est magis indifferens ad has & illas proprietates specie diuersas, quam è diuerso: alias proprietates strictè ac rigorosè tales, quartove modo, futuræ non essent. Contra quam supponitur. Equidem non video, cur materia prima exiget determinatè hanc specie quantitatem, quam quantitas hanc specie materiam, si fortè amba distinguuntur inuicem: aut cur anima exigat hunc specie intellectum, si ab ea distinctus sit, quam è conuerso. Quod autem spectat ad nomina & similia, quibus materiam eiusque indifferentiæ explicant Philosophi, fateor ea esse appositiuissima, sed tamen id mihi indubitatum est, iis non omnem materiam explicari, sed sublunarem & de facto existentem, nec tam huius essentiam & quidditatem quam meram eius proprietatem, & conditionem, per ea declarari: haud ergo contrariæ sententiæ, quam reiicimus, quicquam profunt.

Tertio alij respondent, subiectum esse illam partem, ex qua vnio educitur; & in qua velut causa materiali suscipitur: aliam verò compartem esse formam: quando ergo materia prima vnionem cuiuscunque formæ, etiam animæ rationalis velut causa materialis sustentat, sanè animæ rationalis & cuiusvis alterius formæ subiectum erit, atque receptaculum. Contra tamen primò sic argumetur, ad homines; quia vnio animi rationalis creari potest; fac ergo eam creari: certè in tali euentu materia prima erit subiectum animi rationalis, quin tamen eius vnionem, velut causa materialis, sustentet. Ergo &c. Maior inquam est aduersariorū, quibuscum modo disputamus. Minor probatur, quia ea in hypothesi animus rationalis erit verè & propriè forma materiæ, illam animans, viuificans, & ad esse hominis euehens: ergo materia in illo euentu non solū impropriè, vt hi recentiores contendunt, verum etiā propriè animi subiectum erit, siquidem forma subiecto, summa proprietate, & proportionem, correspondet. Sanè homo subiecto & forma essentialiter constat: quare cum, in ea hypothesi, homo propriè daretur, quis negare possit, tum etiam subiectum & formam propriè datum iri?

58 Aliter, etiam ad homines, contra eandem responsionem, argumentor. Vnio continuatiua, iuxta aduersarios, diuinitus educi potest, ex sola vna continui parte: at vna continui pars subiectū alterius, nec diuinitus, esse potest, cum cōpositio continua à compositione essentiali seu per modū actus, & potentiæ, siue subiecti, & formæ, sit essentialiter diuersa. Quod argumentū, in forma etiā, formati potest: quippe, quæ saltè diuinitus suscipere potest vnionē, cum interim ne diuinitus seu miraculosè possit esse materiæ subiectū. Proinde, &c. Tandè sic arguo. Quod detur vnio ab extremis realiter distincta, aut quod semel admissa suscipiatur adæquatè in sola materia, non verò in forma tantum, vt putant Suar. & Vafq. nec in vtroque extremo vt malunt alij; omnino exploratum constansque non est; cum tamen certissimè & indubitanter constet, materiam esse subiectum formæ, & non è conuerso: malè ergo hoc posterius per illud prius explicatur: quod enim peius philosophandi genus, quam certa per incerta, & clara per obscura, explicare & docere.

59 Quartò alij cum Arriaga docent subiectum esse partem illam, quæ pro priori naturæ supponitur, saltem ad vnionem cum alia parte, per quam perficitur: formam autem esse, quæ, pro posteriori naturæ, partis præsuppositæ incomplementum complet,

& perficit. Contra hanc tamen solutionem inprimis facit, quod anima rationalis, pro priori naturæ, præsupponatur ad vnionem cum materia per nutritionem acquisita: nam quis neget vnionem eam, ab anima rationali, verissimè causari: at anima non est propterea subiectum materiæ, quæ per nutritionem acquiritur, sed è conuerso; Ergo &c. Secundo ad homines eandem solutionem impugno, quia quantitas Eucharistica, iuxta eos quibus cum disceptamus, creatur per modum quendam sibi intrinsecè adhaerentem, & respectu cuius non est prior ordine naturæ: quomodo enim terminus potest esse prior actione sui productiua, eamve antevertere? At quantitas Eucharistica non improprie, sed potius proprie & strictè creationis illius modalis subiectum est, subiectum inquam informationis, & adhaesionis. Vniuersim ergo verum non est de ratione subiecti esse vt ordine naturæ, prius sit forma aut vnione ad illam. Maior, vt dixi, est aduersariorum. Minor probatur, quia creatio illa modalis, ad instar termini sui, creata eique, intrinsecè adhaerens, est vera forma accidentalis: verum ergo aliquid subiectum ei responderet, quod certè aliud, quam quantitas esse nequit. Antecedens suadetur, tum quia creatio illa est accidens: ergo & forma accidentalis propriè: quemadmodum enim de ratione cuiusunque substantiæ creatæ est, vt alicuius formæ proprium subiectum sit; etiam & de ratione cuiusuis accidentis, vt alicuius subiecti vera sit forma: quæ duo vel ex ipsa accidentis & substantiæ ethymologia perspicuè constant: Tum secundo, quia creatio illa modalis atque adhaesiue ad terminum suum creata, est propriè ens incompletum: sed omne ens incompletum est, vel subiectum, vel forma: creatio igitur, qua de loquimur, vel subiecti vel formæ rationem obtinet; non subiecti autem, ergo formæ subiectum aliquid verissimè respicientis.

60 Id etiam contra eandem solutionem militat, quod non improbabile fortassis sit, dari posse in alio rerum ordine compositum, ex materia & forma, quæ, licet realiter inter se distinguantur, tamen se natura & ratione concomitantur; huiusmodi enim concomitantia, minor est identitate: at iuxta non paucos, in corpore simplici, forma, & materia, possunt quodammodo inter se realiter identificari: quidni ergo possint in aliquo substantiali composito se concomitari: sed in eo composito materia, potius quam forma, subiectum non esset, ob prioritatem vnus, & posterioritatem alterius: quippe neutra esset altera prior, neutraque posterior, sed potius concomitanter se haberent ambae. Non ergo per eum ordinem prioris & posterioris quidditas subiecti eiusue à forma distinctio est explicanda.

61 Ipse inprimis censeo, ex duabus partibus vnione penetratiua copulatis, eam esse subiectum, quæ minus principaliter ac perfectè, eam verò è contrario esse formam, quæ magis principaliter perfectèque compositum causat atque constituit: cum ergo materia prima, minus principaliter perfectèque quàm forma, compositum substantiale constituat, mirandum non esse, quod materia sit subiectum formæ, & non è conuerso, quantumlibet vtrique per existentiam sibi propriam atque cognatam existat. Quam doctrinam, in hunc modum, explico, & suadeo. Aut forma entitatiue atque in se est perfectior quam subiectum, vt vel semper, vel multoties, euenit, cum forma est substantialis: de quo infra tract. 4. & ita mirum non est, si compositum etià perfectius principaliusque constituat & causet. Aut forma siue substantialis siue accidentalis est imperfectior quam subiectum: & tunc etiam formam ad compositum magis perfectè concurrere posse & debere, suadetur.

Primò, quia causa efficiens imperfectior potest tamen & solet interdum perfectius concurrere ad effectum quam alia causa efficiens suapte natura perfectior; quidni ergo possit forma substantialis & accidentalis, esto aliqua sit imperfectior subiecto, perfectius tamen, quam illud, ad compositum concurrere: quidni consequenter explicari, per hunc concursum perfectiorè, essentia subiecti & formæ, eorumque inter se distinctio: Antecedens probatur, quia sol v. g. est perfectior, quam terra: & tamen hæc perfectius ad generationem auri, quam ille concurrat; vt aliqui putant, terra aurum efficit, & sol ad illud, nisi dispositiue, aut dispositiones causando, non concurrat: Quod si hoc exemplum non placet, en aliud: cognitio est perfectior habitu cognoscitiuo & scientifico, hic autem efficit amorem, adeoque perfectius ad eum concurrat, quam cognitio: quippe quæ directiue tantum, non verò effectiue, in illum influit.

Aliter secundo ostenditur, formam, licet aliquando imperfectior entitatiue sit, perfectius tamen, quam aliam partem, posse ad totum concurrere. Siquidè perfectior est concursus dantis, quam accipientis; iuxta illud Pauli dictum, quod refertur A. cor. 20. *Beatius est magis dare, quàm accipere*. At albedo v. g. denominationem albi dicitur absolute tribuere ac dare: paries verò, albedini subiectas, denominationem eam albi non tribuere, sed potius ab albedine accipere censetur. Perfectius ergo albedo, ad denominationem seu compositum accidentale albi, quam paries concurrat: & tamen est imperfectior pariete, nihil ergo prohibet quameunque aliam formam, siue accidentalem, siue substantialem, quantumlibet alia comparte sua sit entitatiue imperfectior, perfectius tamen ad compositum siue totum ex vtrique coalescens influere. Fateor, strictè loquendo parietem, per identitatem realem, inadèquate communicare seipsum albo, ac proinde esse ei communicare ac dare, & non solum recipere; alioqui eius non esset causa intrinseca. Cæterum adeo imperfectè dat paries esse albo, vt vulgò dicatur, non tam dare illi esse, quam totum eius esse ab alio, nempe albedine, recipere. Ex hoc ergo loquendi modo intulimus, & quidem, nisi fallimur, efficacissimè, albedinem, esto imperfectiorem pariete, perfectius tamen ad denominationem, ac totalitatem albi concurrere.

Aliter etiam, tamen si non adeo vniuocè, explicari potest ratio subiecti, & cur ea materiæ potius quam alteri eius comparti conueniat. Dici enim potest, formam totius seu compositi accidentalis v. g. albi esse partem, quæ in eo exprimitur, quæue concreti accidentalis illis abstractum est: cum ergo in albo sola albedo exprimitur, eaque sola eius concreti sit abstractum, sanè sola ipsa & non paries erit forma. At vero ea pars erit forma totius substantialis, quæ fuerit ex genere suo perfectior, & naturæ dignitate præstantior, quam alia: quando igitur anima quauis aliudque quoduis complementum substantiale materiæ ex genere suo maiorem entitatiuam perfectionem habet quam materia; certè hæc semper erit subiectum, & altera eius compars, non subiectum, sed forma. Ideo autem forma omnis substantialis, saltem ex genere suo, est perfectior materia prima, quia intra genus formæ substantialis est aliqua, cuius perfectionem nulla materia possibilis assequi potest; nimirum anima rationalis: de quo infra tractatu quarto.

Atque ex his patet ad decimum pro sententia Thomistarum argumentum, cuius occasione de forma & subiecto, eorumque inter se distinctione, hætenus disputauimus. Quin enim materia prima careat propria existentia, quinve eam

eam emendicet à forma, haud tamen vna superest ratio cur materia subiectum dici, & contra forma intra proprios formæ fines sistere debeant. Ex dictis etiam liquet, ad confirmationem argumenti: nec enim ideo accidens est forma substantiæ, quia ei modum essendi siue esse quoddam intrinsecè communicat, cum substantia talem essendi modum: taleve esse de se non habeat: hoc siquidem esse falsum, constat ex dictis supra, contra P. Hurtadum, & ne leuissimè colligitur ex B. Thoma, quippe qui loco nobis obiecto, absolute loquitur, cum tamen propositio, instar antecedentis, in confirmatione argumenti assumpta, & à nobis iamiam negata, haud sit absoluta, sed causalis. Rationes ergo, cur substantia sit subiectum accidentis sui, & hoc illius forma, independentè ab eius Antecedentis veritate, non desunt, eæque, nisi fallimur, satis probabiles: nempe eæ, quas paulò supra protulimus.



TRACTATUS III.

De dependentia materia primæ, à formis substantialibus, in compositione essentiali corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An materia dependeat à priori à forma substantiali.

MERITO arbitror, materiam non dependere à priori à forma substantiali, hoc est ab ea tanquam à vera causâ minimè dependere. Ita Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. à num. 16. Arriaga disp. 2. Phys. sect. 6. Valquez & communiter nostri. Ita etiam Scottus in 2. dist. 12. quæst. 2. & cum eo communiter Scottus: Neque non Gregorius ibid. quæst. 2. art. 2. Item Auicenna lib. 6. Metaphys. & Henricus quodlib. 1. quæst. 11. Probatur autem, quia si materia à forma substantiali tanquam à vera causâ, siue à priori, dependeret; maxime tanquam à causâ formali: at dependentiam velut à causâ formali nequit ab ea sortiri: ergo nullam.

2 Maior argumenti nostri perspicua est: siquidem materia non dependet à forma tanquam à causâ efficienti, alias forma naturaliter creari & materia ab agente naturali effici possent: vtrumque autem est impossibile. Deinde materia non dependet à forma, tanquam à subiecto; aliàs materia generaretur, dareturque mutua causalitas in eodem genere. Rursus materia non dependet à forma in genere causæ finalis absolute; quia finis materiæ, non tam est forma, quam compositum: & quamuis materia in genere causæ finalis à forma dependeret, certè id impertinens esset ad præsens institutū, quod non de dependentia intentionali finis propria, sed de dependentia physica, est: sola ergo causâ formalis reliqua est, in cuius genere possit materia à forma pendere: id quod ipsi etiam Thomistæ, contra quos disputamus, ingenuè fatentur.

3 Porro autem minor argumenti nostri suadet. Primo, quia, si ob aliquam rationem materia à forma in genere causæ formalis dependeret, maxime, quia per existentiam formæ existeret: at hanc rationem esse falsam, ac nullius momenti, probatum est, tract. præcedenti: Secundò, quia si forma esset formalis causâ

R. P. Richardi Lincci, Tom. II.

materiæ, & hæc consequenter eius effectus formalis, sanè materia haud posset non produci efficienter ab agente creato, à quo forma efficienter produciatur. Consequens est absurdum. Ergo, &c. Sequela probatur: nam effectus formalis calidi v. g. ab igne efficienter procedit: quis enim neget, lignum ab igne calefieri, seu calidum fieri, aut effici? At non alia ratione, nisi quia calidum est effectus formalis caloris, qui quidem ab igne efficienter produciatur: Si ergo materia est effectus formalis formæ, non poterit non effici ab agente creato, à quo forma ipsa efficitur.

4 Tertiò suadet eadem argumenti nostri minor: quia forma substantialis à materia in genere causæ materialis verè dependet: haud ergo è conuerso materia à forma in genere causæ formalis dependebit: alioqui dabitur mutua causalitas atque prioritas saltem in diuerso genere: quam tamen repugnare constabit in loco. Quartò tandem probatur illa minor, quoniam forma est causâ formalis compositi: quæ ergo necessitas cogit ei tribuere influxum causæ formalis in materiam?

5 Enimverò assertioni nostræ refragantur Caietan. de ent. & essent cap. 5. quæst. 9. Capriol in 2. dist. 13. quæst. 1. Iauellus & Soncinas 8. metaph. qu. 1. Ferraricus 3. contra gentes cap. 4. omnesque Thomistæ vt testatur P. Suarez vbi supra. In eadem sententia sunt Argentinas in 2. distinct. 12. qu. 3. 1. & Durandus ibidem quæst. 2. Idipsum etiam ex nostris videtur sequi Fonseca 5. metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 1. Obiiciunt autè primo Doctores Thomistæ, materiam non habere existentiam propriam, sed existere per existentiam formæ: forma ergo dat esse materiæ, adeoque est vera illius causâ. Sed huic argumento factum est satis supra. Obiiciunt secundò, forma substantialis perfectior actualiorque est quam materia: magis ergo est, vt forma causet materiam, quam vt materia sit causâ formæ: atqui materia est vera causâ materialis ac passiva formæ: hæc ergo, à fortiori, erit vera causâ formalis materiæ, eiusque dependentiam à priori terminabit. Verum, vt homo est perfectior sole, & tamen solem non generat neque causat, sed potius è contrario à sole generatur; iuxta commune effatum; *Sol, & homo generant hominem*; ita similiter, in præsentia, &c. Ratio à priori est, quia, tametsi forma non causet materiam, sed ab ea causetur, optimè intelligitur proficisci posse ex aliis capitibus, quod materiam perfectione superet, nimirum quia compositum perfectius causat constituitque, & quia est prima radix effectiua operationum compositi, quæ quidem multæ sunt interdumque præstantissimæ, nec à materia efficiuntur, sed in ea recipiuntur duntaxat.

CAPVT II.

An materia saltem à posteriori à forma substantiali dependeat?

6 Censeo inprimis, materiam primam de facto existentem dependere à posteriori à forma substantiali: id est dependentiam ab ea habere, tanquam ab effectu, quem materialiter causat, & sine quo vniuersaliter sumpto ex natura rei ac citra miraculum esse non possit, neque conseruari. Ita censent commentator 1. Phys. comment. 56. & lib. 2. comment. 13. Auicenna 2. met. cap. 2. & 3. Themist. 1. Physic. digression. vltima, Soncinas 5. metaphys. qu. 1. Plotin. Enead. 3. lib. 6. cap. 14. Arriaga disp. 11. Phys. sect. 6. subf. 3. n. 11. Hurtad. disp. 5. sect. 9. §. 141. Conimb. 1. Phys. c. 9. q. 6. art. 3. & Suarez citata disp. 15. met. sect. 8.

B 3